

lent, cum sint competitores non erit cunctandum. Ego vero vestratibus delector meo more. Heydelberga emortuali Philippi (b) 15. Febr. 1586. Librum Epistolarum caro hospiti meo Tobiaë Hallero ab Hallerstein transmittendum dedi. Habeo gratiam, quod inspiciendum præbuiſti.

EPISTOLA XLIII.

Salve Vir clarissime, Inter bonos bene agier. Ego vestro, nunc etiam institutionis jure, meo Muffelio non deero: ac mihi pollicebor bene tum natum tum educatum libenter meis monitis de virtute Christiana, de studiis, de temperantia, obsequuturum. Domi meæ vivere poterit & frui colloquiis meis & nobilium literatorum & benemoratorum, quorum duo mecum proficiscuntur Basileam: alii aliunde accedent, ut video. Quum autem mihi fatale sit, vestrates & quidem opt. parentum filios, hospites habere, id a Deo opto, quod heri Nobili viro affini tuo, D. Hallero dicebam, ut consilio votis & exemplo sic illis profim, ut fructus aliquando, etiam me sepulto, redeat
ad

(b) forte scribere voluit *Lutheri*, qui die concordiaë medio Februarii mensis d. 18. A. 1546. obiit. *Philippum* vero medio Aprilis mortuum esse, constat.